

---

---

## CARMEN II.

---

### VILLA SURRENTINA POLLII FELICIS.<sup>\*</sup>

EST inter notos Sirenum nomine muros,  
Saxaque Tyrrhenæ templis onerata Minervæ,  
Celsa Dicarchei speculatrix villa profundi,  
Qua Bromio dilectus ager, collesque per altos  
Uritur, et prælis non invidet uva Falernis.

5

Huc me post patrii lætum quinquennia lustri,  
Quum stadio jam pigra quies, canusque sederet  
Pulvis, ad Ambracias conversa gymnaðe frondes,  
Trans gentile fretum placidi facundia Polli  
Detulit, et nitidæ juvenilis gratia Pollæ,  
Flectere jam cupidum gressus, qua limite noto  
Appia longarum teritur regina viarum.  
Sed juvere moræ. Placido lunata recessu  
Hinc atque hinc curvas perrumpunt æquora rupes:  
Dat Natura locum; montique intervenit udum  
Litus, et in terras, scopolis pendentibus, exit.

10

15

#### VARIÆ LECTIONES.

\* *Villa Surrentina Pollii Felicis.* Cod. Par. *Pollii villa surren-*  
*tina.* A. *rumpunt,* quod et habet ed. pr. A.

15. *Udum.* Cod. Senensis *imum.*

Cod. Paris. et edit. princ. *unum.*

Vid. not. A.

7. *Pigra quies.* Lege *parta quies.*

Vid. not. Markland. A.

16. *In terras.* Lege *ulterius.* Ed

12. *Longarum.* In *Gevart.* legi-

Parm. *in terris.* Vid. not. — *Exit.*

*tersarum.* A.

Sic Cod. Par. qui inter lineas exhi-

14. *Perrumpunt.* Cod. Par. *præ-*

bet intrat. A.

Gratia prima loci, gemina testudine fumant  
 Balnea, et e terris occurrit dulcis amaro  
 Nympha mari : levis hic Phorci chorus, udaque crines  
 Cymodoce, viridisque cupit Galatea lavari. 20  
 Ante domum tumidæ moderator cærulus undæ  
 Excubat, innocui custos laris : hujus amico  
 Spumant templa salo : felicia rura tuetur  
 Alcides : gaudet gemino sub numine portus.  
 Hic servat terras, hic sævis fluctibus obstat. 25  
 Mira quies pelagi : ponunt hic lassa furorem  
 Æquora, et insani spirant clementius Austri.  
 Hic præceps minus audet hyems, nulloque tumultu  
 Stagna modesta jacent, dominique imitantia mores.  
 Inde per obliquas erepit porticus arces, 30  
 Urbis opus; longoque domat saxa aspera dorso.  
 Qua prius obscurò permixti pulvere soles,  
 Et feritas inamœna viæ, nunc ire voluptas :  
 Qualis, si subeas Ephyres Baccheiados altum  
 Culmen, ab Inoo fert semita tecta Lechæo. 35  
 Non, mihi si cunctos Helicon indulgeat amnes,  
 Et superet Pimplea sitim, largeque volantis  
 Ungula se det equi, reserretque arcana pudicos  
 Phœmonoë fontes, vel quos meus, auspice Phœbo,  
 Altius immersa turbavit Pollius urna; 40  
 Innumeræ valeam species, cultusque locorum  
 Pieris æquare modis. Vix ordine longo  
 Suffecere oculi, vix, dum per singula ducor,  
 Suffecere gradus. Quæ rerum turba! locine  
 Ingenium, an domini mirer prius? hæc domus ortus 45  
 Prospicit, et Phœbi tenerum jubar; illa cadentem

37. *Pimplea*. Ed. pr. *piplea*. A. Cod. Par. edit. princ. referet ar-

38. *Se det.* Cod. Paris. et edit. cana. A.

*princ se det. — Reserretque arcana.* 46 *Prospicit.* Vulgo *aspicit* —

Detinet, exactamque negat dimittere lucem,  
 Quum jam fessa dies, et in æquora montis opaci  
 Umbra cadit, vitroque natant præatoria ponto.  
 Hæc pelagi clamore fremunt; hæc tecta sonoros      50  
 Ignorant fluctus, terræque silentia malunt.

His favit Natura locis: hic victa, colenti  
 Cessit, et ignotos docilis mansuevit in usus.  
 Mons erat hic, ubi plana vides: hæc lustra fuerunt,  
 Quæ nunc tecta subis: ubi nunc nemora ardua cernis, 55  
 Hic nec terra fuit: domuit possessor, et illum  
 Formantem rupes, expugnantemque secuta  
 Gaudet humus. Nunc cerne jugum discentia saxa,  
 Intrantesque domos, jussumque recedere montem.  
 Jam Methymnæi vatis manus, et chelys una      60  
 Thebais, et Getici cedat tibi gloria plectri.  
 Et tu saxa moves, et te nemora alta sequuntur.

Quid referam veteres ceræque ærisque figuræ?  
 Si quid Apellei gaudent animasse colores;  
 Si quid adhuc vacua tamen admirabile Pisa      65  
 Phidiacæ rasere manus: quod ab arte Myronis,  
 Aut Polycletæo jussum est quod vivere cælo,

Cod. Paris. ed. princ. *aspicit*. Vid. not. A.

52. Pro *hic victa*. edd. Parm. et Rom. *his*, forte recte. — *His legi-tur* in Cod. Paris. et ed. pr. A.

53. *Mansuevit*. Cod. Par. edit. princ. *mansuescit*. A.

54. *Hæc lustra*. Edd. Parm. et Rom. *et lustra*; opinor, « at lustra fuerunt Quæ nunc tecta subis. » — Cod. Paris. ed. pr. *et lustra*. A.

60. Pro *Methymnæi*, edd. Ven. *Mytilenei*; de qua scriptura vide Vossium ad Melam, II, 7, p. 201.

65. *Adhuc vacua Pisa*, etc. Id

est, « nondum posito simulacro Jo-vis Olympii ad Pisam, » ut bene Domitius. Sed tamen corruptus est locus, et valde suspicor, sub vocibus *adhuc vacua*, latere *olüpiaca*, id est, Olympiaca, « Si quid Olympiaca famæ admirabile Pisa Phidiacæ rasere manus, » pro *adhuc vacua tamen*; *Pisa Olympiaca*, propter certamen Olympium. Vid. Apuleium, initio Flor. II. *Famæ admirabile*, ut *famæ obscura*, Epiced. Patr. v. 109, ubi vide quæ notavi.

66. *Phidiacæ*. Cod. Paris. edit. princ. *Phidaicæ*. A.

Æraque ab Isthmiacis auro potiora favillis;  
 Ora ducum, et vatum, sapientumque ora priorum,  
 Quos tibi cura sequi, quos toto pectore sentis      70  
 Expers turbarum, atque animum virtute quieta  
 Compositus, semperque tuus. Quid mille revolvam  
 Culmina, visendique vices? sua cuique voluptas,  
 Atque omni proprium thalamo mare: transque jacentem  
 Nerea diversis servit sua terra fenestris.      75  
 Hæc videt Inarimen, illi Prochyta aspera paret:  
 Armiger hinc magni patet Hectoris: inde malignum  
 Aera respirat pelago circumflua Nesis:  
 Inde vagis omen felix Euploea carinis,  
 Quæque ferit curvos exerta Megalia fluctus.      80  
 Angitur et domino contra recubante procul qui  
 Surrentina tuus spectat prætoria Limon.  
 Ante tamen cunctas procul eminent una diætas  
 Quæ tibi Parthenopen directo limite ponti  
 Ingerit. Hic Graiis penitus desecta metallis      85  
 Saxa: quod Eoæ respergit vena Syenes:

68. *Æraque ab Isthmiacis.* Vox  
 ab deest in Cod. Paris. et ed. pr. A.

71. *Turbarum.* Cod. Paris. ed. pr.

*curarum.* Cf. not. ad vs. 70. A.

76. *Illi.* Cod. Paris. ed. princ. illine. A.

77. *Hinc.* Vulgo hac. Lege hinc ut respondeat r̄p inde; hinc patet Misenum, inde Nesis. — Cod. Par.

hac, scil. *fenestra.* Ed. pr. ac. A.

78. *Nesis.* Cod. Paris. Nesis. A.

79. *Pro Euploea,* edit. Parm. Euboia.

80. Quæque ferit e. exerta *Megalia* fl. Corruptus locus; dixisse debuit Megaliam feriri a fluctibus, non ipsam ferire fluctus. Ven. habet: « Quæque serit curvos exerta

Megalia fluctus; » forte: « Quæque premit curvos exserta M. fl. » Rutilius, Itin. I, 315: « Tenditur in medias mons Argentarius undas Ancipitique jugo cœrula rura premit. » Ed. Parm. *navalia* pro *Megalia*.

81. *Procul qui.* Cod. Paris. *procul que.* Vid. not. A.

82. *Tuus... Limon.* Edit. Parm. *tuum... limen.*

83. *Ante.... cunctas.... diætas.* Cod. Paris. ed. princ. *Una... cunctis... diætis.* Vid. not. A.

85. *desecta.* Edd. Parm. et Rom. *delecta.* — Cod. Paris. *delecta.* A.

86. *Pro quot Eoæ et quot mæsta,* edit. Rom. *habet quod; recte.* Ita

Synnade quod mœsta Phrygiæ fodere secures  
 Per Cybeles lugentis agros, ubi marmore picto  
 Candida purpureo distinguitur area gyro.  
 Hic et Amyclæi cæsum de monte Lycurgi        90  
 Quod viret, et molles imitatur rupibus herbas.  
 Hic Nomadum lucent flaventia saxa, Thasosque,  
 Et Chios, et gaudens fluctu certare Carystos.  
 Omnia Chalcidicas turres obversa salutant.        94  
 Macte animo, quod Graia probas, quod Graia frequentas  
 Arva; nec invideant quæ te genuere Dicarchi  
 Mœnia: nos docto melius potiemur alumno.  
 Quid nunc ruris opes, pontoque novalia dicam  
 Injecta, et madidas Bacchæo nectare rupes?  
 Sæpe per autumnum, jam pubescente Lyæo,        100  
 Conscendit scopulos, noctisque occulta sub umbra  
 Palmite maturo rorantia lumina tersit  
 Nereis, et dulces rapuit de collibus uvas.  
 Sæpe et vicino sparsa est vindemia fluctu;  
 Et Satyri cecidere vadis, nudamque per undas        105  
 Dorida montani cupierunt prendere Panes.  
 Sis felix, tellus, dominis ambobus in annos  
 Mygdonii, Pyliique senis; nec nobile mutes

mox, vers. 91, *quod viret*, id est, *quicquid, quantum*; Kal. Decemb.  
 « Quod ramis pia germinæ Damascus. » — Cod. Paris. habet *quot*,  
 et ita in vs. sq. *quot mœsta*. Præ-  
 terea, v. 87, *sorores legitur* in eod.  
*Cod. et secures* in margine.

89. *Purpureo*. Cod. Par. inter  
 lin. *sanguineo*.

93. *Fluctu certare*. Cod. Paris.  
 ed. pr. *fluctus spectare*. Vid. not. A.

95. *Graia... Graia*. Ita recte re-  
 stituit Gevartius pro *grata*. Neapo-

lim *Græcae esse originis omnibus*  
*notum*: vide Strab. lib. V, p. 170,  
 ubi narrat etiam ad sua tempora  
 durasse plurima Græcorum insi-  
 tutorum vestigia: unde *Graiam*  
*Parthenopen* vocat Sil. Ital. VIII,  
 534. Pari modo depravatum puto  
 Virgil. Culic. vs. 65: « nec pocula  
 gratum Alconis referent, Boetique  
 toteuma; » ubi legendum puto  
*Graium toteuma*, et referunt, ut  
 paulo ante tangit et manet. — Cod.  
 Paris. *grata... grata*. A.

Servitum; nec te cultu Tirynthia vincat  
 Aula, Dicarcheique sinus: nec sæpius istis      110  
 Blanda Therapnæi placeant vineta Galesi,  
 Hic seu siderias exercet Pollius artes,  
 Seu volvit monitus, quos dat Gargettius auctor,  
 Seu nostram quatit ille chelyn, seu dissona nectit  
 Carmina, sive minax ultiorem stringit iambon;      115  
 Hinc levis e scopolis meliora ad carmina Siren  
 Advolat; hinc motis audit Tritonia cristis.  
 Tunc rabidi ponunt flatus, maria ipsa vetantur

110. Pro istis. Ed. Parm. isti. —  
 Cod. Paris. isti. A.

111. *Blanda Therapnæi placeant vineta Galesi.* Therapnæi Galesi, id est, *Lacedæmonii*: quo epitheto hunc fluvium donat Martial. Epigr. II, 43: « Te Lacedæmonio velat toga lota Galeso; » et Noster, Silv. III, vs. 93. Recte igitur *Therapnæi Galesi*; et ita habent oinnes quotquot vidi editiones, preter unicam Parmensem, quæ exhibet *vineta Tarenti*. Sensus idem est in utroque. Et fieri potest ut vox *Tarenti* glossa sit seu explicatio marginalis *τὸν Galesi*, in contextum postea admissa: multum tamen vetustissimæ editioni deferendum est, nisi aliud suadeant Codd. MSS. De *Therapnæo* vero (ita enim scribendum, non *Theramnæo*, monuit Berkelius ad Stephanum) seu *Lacedæmonio Tarento*, vide Justinum, lib. III, edit. nost. pag. 138; Strabon. VI, pag. 192; *Servium ad Virg. Georg.* IV, 126, edit. nost. vol. I, p. 519; Horat. carm. III, 5, et alios.

112. Seu. Cod. Paris. ubi, et in marg. tibi. A.

113. *Gargettius* Cod. Par. *Gargettius*. A.

116. *Hinc l. e sc... siren.* Cod. Paris. *huc l. et sc... syren.* A.

117. *Hinc.* Cod. Paris. et in contextu, *huc in margine.* A.

118. *Rabidi.* Pro *rabidi flatus*, Parm. et Rom. *rapidi*. Utrumvis probum suo loco: sed hoc loco melius *rabidi*; ita *rabiosa murmura* Anieni attribuit Tiburtin. Manl. vers. 21; Lucan. X, 211, *rabidos qua Sirius ignes Exerit*; ubi etiam nonnullæ editiones *rapidos*. Hæ voces semper commutantur iu MSS. Vide Heinssium ad Claudian. Fescen. in Nupt. Honor. et Mar. v. 83, « Rabidi tacete Cori; » ita enim legit ex Codd. pro *Rapidi*. Sil. Italic. XIV, 131: « Sternuntur passim; pedibusque evadere letum Eripuit rabidus Mavors; » ita legendum puto; vulgo minus concinne, *Eripuit rapidus*. Avienus Arat. Phænom. vs. 675: « Exitiumque sali rabidique pericula ponti Anteveni. » — Cod. Paris. *rapidi*. A. — *Vetantur.* Non male legas, *verentur obstrepere*, quod majorem reverentiam monstrat cum timore junctam; sic Thebaid. VIII, 291: « Sumere tunc arces, ipsumque onerare veretur Patris equum. »

Obstrepere: emergunt pelago, doctamque trahuntur  
Ad chelyn, et blandi scopulis delphines aderrant. 120

Vive, Midæ gazis et Lydo ditior auro,  
Troïca et Euphratæa super diademata felix:  
Quem non ambigui fasces, non mobile vulgus,  
Non leges, non castra tenent: qui pectore magno  
Spemque metumque domas, vitio sublimior omni, 125  
Exemptus fatis, indignantemque refellens

119. *Emergent.* Cod. Par. *mer-*  
*gunt.* A.

120. *Pro blandi delphines,* Hein-  
sius, referente Burmanno ad Ovid.  
Heroid. XVIII, 131, in ora codicis  
sui notarat hoc loco legendum esse  
*pandi delphines.* Verius *blandi*, et  
multo elegantius. Claudian. de IV  
Cons. Honorii: *irent blandi sub vin-*  
*cula tigres.* Dicit Statius delphinas  
*blandos aderrare scopulis, delecta-*  
*tos et quasi Pollio adulantes.* Ovid.  
Met. XIV, 254, de lapis et ursis  
qui erant in domo Circes: « Quin-  
etiam blandas movere per aera  
caudas, Nostraque adulantes comi-  
tant vestigia. »

121. *Ditior.* Forte legendum *di-*  
*gnior,* ut Tiburt. Manl. vers. 105,  
« digne Midæ Crœsique opibus, et  
Perside gaza, » ubi eadem omnia  
vides.

122. *Euphrate supra.* Ita plurimæ  
editiones; unde Gronovius, Diatri.  
cap. 20, minima mutatione legit  
*Euphratæa supra diademata.* Bene  
quidem; sed contra morem Stati.  
Ille enim priuam in *supra* semel  
tantum, opinor, corripit, Theb.  
IX, 114: « circumque supraque  
Vertitur. » Et hoc ex imitatione  
Virg. Æneid. VII, 32, magis quam  
judicio suo; unde in Tiburt. Manl.  
v. 20: « Ipse Amnis (miranda fides)

*infraque superque, » quum obvium  
esset et pæne necessarium ut dice-  
ret *infraque supraque*, vitavit, et  
pro eo substituit *superque*. Legen-  
dum, « Troïca et Euphratæa super  
diademata felix; » quo pacto vita-  
tur etiam imbecillitas tot vocum in  
a exeuntium; *Euphratæa supra dia-*  
*demata.* Sensus idem est. *Super pro*  
*ultra, vel magis quam,* ut Silv. III,  
2, 81, « Teque super reliquos, te  
nostri pignus amoris. » Editio Par-  
mensis habet *Euphratis supra*: non  
male; sed verius est quod dixi, et  
magis Statianum, utpote concita-  
tius et dactylis currens. Sæpe com-  
mutantur haec voces. Theb. X, 787:  
« Concinitur vulgo Cadmum atque  
Amphiona supra Conditor. » Codex  
Petrensis male habet *super.* — Cod.  
Paris. *Euphratis supra.* A.*

126. *Indignantemque refellis For-*  
*tunam.* Requiritur participium quod  
respondeat *atque Exemptus.* Lege,  
« Exemptus fatis, indignantemque  
refellens Fortunam. » Per se patet.  
Nonnullæ editi. habent *repellis.* Ve-  
net. *refelles*, amissio apice qui su-  
per eam appingebatur. Sed probum  
alterum: quod et antiquissimis edi-  
tionibus confirmatur. Virg. Æn. IV,  
380: « neque te teneo, neque dicta  
refello. » Heinsius, ad Claudian.  
Epith. Pall. et Celer. v. 79, mavult

Fortunam : dubium quem non in turbine rerum  
Deprendet suprema dies ; sed abire paratum,  
Ac plenum vita. Nos , viliis turba , caducis  
Deservire bonis , semperque optare parati ,  
Spargimur in casus : celsa tu mentis ab arce  
Despicis errantes , humanaque gaudia rides.

Tempus erat , quum te geminæ suffragia terræ  
Diriperent , celsusque duas veherere per urbes :  
Inde Dicarcheis multum venerande colonis ,  
Hinc ascite meis ; pariterque his largus , et illis ,  
Ac juvenile calens , plectrique errore superbis .  
At nunc discussa rerum caligine , verum

*repellis*; et faveit Stat. Silv. V, 4:  
« *ultro te , somne , repellit.* » Ut cun-  
que sit , requiritur participium . —  
Cod. Paris. habet *repellis* in con-  
textu , et *repellis* in margine. A.

127. *Dubio quem non in turbine*  
*rerum Deprendet suprema dies , sed*  
*abire paratum.* Locus mendorus ;  
attende enim sensui et construc-  
tioni : « quem in dubio rerum tur-  
bine suprema dies non deprendet ,  
sed abire paratum ; » deprendet  
*qualem?* manifesto deest aliquid  
quod respondeat voci *paratum*.  
Lege , « Dubium quem non in tur-  
bine rerum Deprendet suprema  
dies , sed abire paratum. » Non in-  
veniet *dubium* , sed *paratum*. Per  
se patet ; scio vocem *deprendere ab-*  
*solute aliquando sumi pro eo quod*  
*est imparatum invenire , inopinanti*  
*supervenire* ; sed oppositio hic po-  
stulat ut legamus ita ut edidi . —  
Cod. Paris. et edit. princ. dubio q.  
n. i. t. r. *Deprendet* , etc. A.

134. *Duas.* Sic Cod. Paris. qui  
exhibit *tuas* in marg.

136. *Ascite.* Edit. princ. male ,  
*ascitæ.* A.

138. *Discussa rerum caligine , ve-*  
*rum Aspicis.* Ad quem locum ita  
Gronov. Diatr. c. 20 : « Levis cor-  
rectio est , sed quam me vix spero  
magistris probaturum , quibus pa-  
ronomasia blandietur : *discussa ve-*  
*rum caligine verum Aspicis.* » Mihi  
certe , vir doctissime , nunquam pro-  
babis : non quod blandiatur parono-  
masia , sed quod scio hanc vocem  
rerum frequentissime abundare ,  
pariter ac in hoc loco. Propertius ,  
III , 8 : « *Ownia non pariter rerum*  
*sunt omnibus apta.* » Noster , Theb.  
II : « *cunctos tamen omnia rerum*  
*Dira movent;* » carm. VI , vers. 8 ,  
hujus libri : « *quoniam rerum om-*  
*nia cæca Sic miscet Fortuna ma-*  
*nus.* » Prudentius Cathem. Hymn.  
Octav. Kal. Jan. v. 57 ; Tertullian.  
de Judic. Dom. vs. 49. Quibus lo-  
cis , et multo plura possem addere ,  
si omittas *rö rerum* , sensus perfe-  
ctus erit. Nulla igitur mutatione  
opus.

Aspicis : illo alii rursus jactentur in alto;  
 At tua securos portus, blandamque quietem  
 Intravit non quassa ratis. Sic perge; nec unquam  
 Emeritam in nostras puppem dimitte procellas.

Vivite securi, quorum de pectore mixtæ  
 In longum coiere faces, sanctusque pudicæ  
 Servat amicitiæ leges amor. Ite per annos  
 Sæculaque, et priscæ titulos præcedite famæ.  
 Tuque, nurus inter longe pulcherrima, cujus

140

145

139. *Alii rursus jactantur in alto.* Quivis videt legendum esse *jactentur*; et ita Barthius. Senec. Nat. Quæst. IV, init. « Turbam rerum hominumque desiderant, qui se pati nesciunt: tibi tecum optimè convenit. » Noster, Geneth. Lucan. vs. 48: « Nocturnas alii Phrygum ruinas, Trita vatibus orbita, sequantur: Tu carus Latio, etc. » Juvenal. III, 45: « ferre ad nuptam quæ mittit adulter, Quæ mandat, norint alii: me nemo ministro Fur erit: atque ideo nulli comes exeo, tanquam Mancus, et extincta corpus non utile dextra. » Ita legendum: vulgo, *extinctæ dextræ*. Martial. lib. III, ep. v, v. 1: « alios commendat epistola; ubi vulgo legitur *commendat*. — Cod. Paris. *jactantur*; et seq. vers. Et pro *At. A.*

142. *Emeritam in nostras puppem demitte procellas.* Demittere aliquid est ex superiori in inferiore locum mittere; ut demittere oculos in terras ex cælo, Plin. Panegyr. Atqui hoc de nave dici non potest: non enim *demittitur*, sed *dimititur* in procellas: *puppem dimitte procellas*; et ita vetus Parm. Silv. V, 1, vs. 86: « magnum late

*dimittere in orbem Romulei man-  
data ducis. » Fusius agam ad III,  
3, vs. 77, ubi eadem depravatio.  
*Pro nostras procellas* sensus videtur  
 postulare *notas*; procellas quas ex-  
 pertus es. Ita apud Valer. Flacc. I,  
 257, *pro notas voces* Codex Borm.  
 habuit *nras*, id est, *nostras*. Clau-  
 diian. de Mall. Theod. Cons. v. 310:  
 « Nec molles egeant nota dulcedine  
 ludi; ita recte edidit Heins. pro *no-  
 stra. Emeritam puppem*, ut Martial.  
 Epigr. X, lxxxv, 5; et Lucan. III,  
 515: « *emeritas* repetunt navalibus  
 alnos. » — Cod. Paris. *demitte. A.**

143. *Vivite.* Cod. Paris. *discite* in contextu, *vivite* in margin. Cf. not. A.

147. *Pro pulcherrima edit.* Parm.  
 habet *præcordia*; unde patet hanc  
 vocem non esse figmentum Domitii  
 et nusquam alibi lectam, quod voluit Gronovius. Totum vero versum  
 sic concipit Parmens., « *Tuque nu-  
 rus inter longe præcordia curæ Non  
 fontem visere mine;* » Romana,  
*præcordia cuius*. Heinsius ad Ovid.  
 Heroid. XXI, 165, pro *vertere ex  
 vetusto Codice legit traxere*: bene.  
 Ita Ovid. loco illic adducto, Amor.  
 II, ii, 33: « *Quum bene vir traxit*

14.

Non frontem vertere minæ, sed candida semper  
 Gaudia, et in vultu curarum ignara voluptas :  
 Non tibi sepositas infelix strangulat arca      150  
 Divitias, avidique animum dispendia torquent  
 Fœnoris : expositi census, et docta fruendi  
 Temperies. Non ulla Deo meliore cohærent  
 Pectora, non alias decuit Concordia mentes.

vultum, rugasque coegit ; » idem quod *contraxit*; cuius oppositum *solvere* frontem. Deinde, versu proxime sequenti pro *curarum* voluit *rugarum*. Sed nimis ambigua videtur vox *rugarum*; et paulo ante dixerat *non frontem vertere minæ*; quæ quum idem exprimant, in *tauτολογίας* poetam conjicent. — Cod. Paris. *inter* cuius *precordia*

(in marg. *placidissima*) *curæ*. A.

149. Pro *Gaudia* optime potes legere *Gratia*: et fere persuadeor Statium ita scripsisse. Passim hanc vocem de re eadem usurpat: v. 10: » nitidæ juvenilis *gratia* Pollæ. » Vid. Lacr. Etrusc. v. 114. — Cod. Paris. ed. pr. *Gaudia* tinentur. A.  
 154. *Decuit*. Cod. Paris. *docuit*, et in margine *decuit*. A.